



236

Mira res! dum navem ingressa fuisset, et jam longe in mari essent, omni secundo vento caruerunt, et aliis navibus prospere procedentibus navis illa penitus non processit. Videntes autem marinarii hoc miraculose fieri, coeperunt mansiunculas, singulorum saccos, peras et cistas perscrutari, et de singulis inventis rationem petere, sicut moris est fieri instante singulari impedimento. Cum autem morsellum panniculo involutum reperissent, audita veritate, quam mulier confitebatur, redierunt in portum unde exierant, et ipsum morsellum cum in locum suum reposuissent, expedito itinere mare sulcabant. In hac urbe est etiam reginae palatium, et omnia sunt in bono foro ibi.

Secundus episcopatus est in Famagusta, quae olim fuit insignis et totius regni caput et regum sedes. Sita est haec civitas in maris littore, et portum aptissimum (habet) ad susceptionem classium. Conventum habent ibi fratres nostri, sed paene annihilatum, quia ruinam omnia minantur, sicut et ipsa urbs in dies deficit; dicunt, quod nemo potest manere ibi propter aëris infectionem. In his duabus civitatibus (156 a) fuit olim omnis Cypri gloria et mercantiarum copia et omnium linguarum et gentium concursus, sed in dies omnia deficiunt.

Prope Famagustam sunt ruinae vetustissimae urbis, quae dicebatur Salamina; haec a quodam dicto Teucro fuit aedificata. Dum enim hic Teucer cum fratre ivisset in trojanum bellum et eo peracto absque fratre in patriam rediisset, non susceptus secessit in Cyprum et Salaminam aedificavit, et in ea vitae residuum habitavit, cujus pater Telamon primus muros urbis Trojae ascendit, et Hesionam nobilissimi Troiani filiam in uxorem habuit, ex qua Ajacem et Teucrum suscepit. Ex illo autem Teucro nonnulli opinantur Teucrorum populos, id est, Turcorum, ortum habuisse, unde hodie ipsos Turcos nominant, tamquam a Teucro diffusos. Et quum de Turcorum origine hic casu mentio facta est, non judico alienum a proposito, de ortu hujus gentis nobis tam notissimae et formidulosae aliquid beviter dicere.

Pro primo notandum, quod duos Teucros in veteribus legimus historiis, qui fuerunt temporibus Trojanorum. Unus fuit filius Priami, regis Trojae, alius fuit filius Telamonis ex Hesiona, Laomedontis filia, qui Laomedon pater fuit Priami. Primus paulo ante bellum trojanum interiit ab urso laceratus, nec ejus proles invenitur. Secundus

247

245

251

241

256

236

296

196

346

146

Ende

Anfang